

Cap. X. THEOPHYLACTI ARCHIEP. BVLGAR. IN MATTHAEVM

Operatur miracula Iesus. Tenet autem manum, uirtutem illi dans. Et tu si mortuus fueris peccatis, tunc surges, quando apprehendet manum tuam, ita ut opereris, eiecta turba, & tumultuatione sedata.

Et quum discessisset illinc Iesus, sequuti sunt illum duo caeci, clamantes, & dicentes Misere nostri fili David.] Caeci, ut deo dicebant, misere: ut homini autem dicebant, fili David. Celebre enim erat apud Iudaeos, Messiam esse semine David uenturum.

At quum uenisset in aedes, adierunt illum caeci. Et dicit illis Iesus: Creditis quod possim hoc facere? dicunt illi, Etiam domine.] Trahit secum caecos usque in domum: ut monstret solidam illorum fidem, & condemnet Iudaeos. Interrogat autem eos, an credant: ostendens fidem omnia perficere.

Tunc tetigit oculos illorum, dicens: Secundum uestram fidem fiat uobis. Et aperti sunt illorum oculi.] In domo seorsim curat, ut uitetur inanis gloria. Per omnia enim docet modestiam & humilitatem mentis.

Et interminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciatur. Illi autem ut egressi sunt, diffamauerunt illum in tota terra illa.] Vides quomodo fastum fugerit. Illi uero non ut inobedientes, sed ut grati diuulgauerunt. Quamuis autem alicubi dicere uideretur, Abi & narra gloriam dei. non est huic contrarium: uult enim apud se manentes, nihil dicere, narrare autem gloriam dei apud alios.

Quum autem illi egredierentur, adduxerunt illi hominem mutum & daemoniacum, & eiectione demonio, loquutus est mutus.] Non erat morbus naturalis, sed a demone immixtus, propterea & alij adducunt illum: non enim per seipsum orare poterat, quia demon eius linguam uinxerat: unde neque fidem exigit, sed statim curat, eiectione demone mutum loqui prohibente.

Et admiratae sunt turbae, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel.] Admiratae turbae, Christum & prophetis, & patriarchis praeposuerunt: nam potestate sua curabat, non sicut illi, precantes. Videamus autem & phariseos quid dicant.

Pharisei autem dicebant: In principe demoniorum eijcit daemonia.] Summae stultitiae sermones illi sunt: nullus enim demon eijcit demonem. Esto autem, quod daemones eijciat, uti seruatus demonum principi: morbos igitur & peccata quomodo soluebat, & regnum praedicabat: nam demon contrario modo morbos auget, & a deo separat.

Et circumibat Iesus ciuitates omnes, ac uicos, docens in synagogis illorum, & praedicans Euangelium regni, & sanans omnem morbum, ac omnem languorem.] Quoniam misericors est, non expectat illos ad se uenientes: sed ipse prospiciens ne habeant excusationem, quod nullus illos docuerit, opere autem & sermone trahit eos docens, & miracula faciens.

Quum uidisset autem turbas, misericordiae affectu motus est erga illos, quod essent destituti ac dispersi uelut oves non habentes pastorem.] Non habebant pastorem, eo quod principes illorum non solum non corrigebant, sed & nocebant. Veri enim pastoris est erga gregem misericordia affici.

Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.] Messem uocat magnitudinem ministerij quo egebant: Operarios autem eos, qui docere debebant, quales tunc non erant in Israel. Dominus autem messis, dominus apostolorum & prophetarum. Manifestum autem hoc ex eo quod ordinauit apostolos, non petendo deum. Audi enim.

C A P V T X.



T accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem super spiritus im-mundos, ita ut ipsi eijcerent & sanarent quemuis morbum, & quemuis languorem.] Duodecim discipulos eligit iuxta numerum duodecim tribuum, uirtutemque illis tradidit, quamuis pauci essent, ac emisit. Pauci enim per angustam portam transeunt: dedit enim eis faciendi miracula uirtutem, ut in admirationem adducerent ad doctrinam, & magis obtemperantes habeant auditores.

Duodecim



Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc: Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.] Enumerat autem discipulorum nomina, propter pseudapostolos. Præponit autem Petrum & Andream, quoniam & primum erant uocati. Deinde ponens filios Zebedæi, præponit Iacobum Ioanni: non iuxta dignitatem, sed quod ita acciderat. Dicit igitur:

Iacobus Zebedæi filius, & Ioannes frater eius, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi & Lebbæus cognominatus Thaddæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit illum.] Vide humilitatem Matthæi, quomodo se post Thomam ordinari. Ad Iudam autem quum uenisset, non dixit, pollutus ille, inimicus ille dei: sed Iscarioten illum à patria nominauit. Erat enim & alius Iudas, qui & Lebbæus & Thaddæus dicebatur. Duo igitur Iacobi, nempe unus Zebedæi, alter Alphæi, & duo Iudæ, Thaddæus unus, & alter proditor. Tres autem Simones, Simon scilicet Petrus, & Cananæus, & proditor. Simon enim Iudas Iscariotes dicebatur.

Illos duodecim emisit Iesus, & præcepit eis, dicens: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne ingrediamini: sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Proficiscentes autem prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum.] Illos, quales: piscatores, uulgares, publicanos. Primum autem misit ad Iudæos, ne dicerent, quoniā ad gentiles missi fuerunt, idcirco nos Iudæi iure non credimus. Destituit igitur Iudæos omni excusatione. Coniungit autem Samaritanos gentilibus, quoniam Samaritani Babylonij erant, & in Iudæa domicilium habebant, prophetasque non recipiebant. Porro per regnum cœlorum, futurorum intellige fruitionem. Armat autem eos miraculis, dicens:

*Samaritani Babylonij.*

Infirmos sanate, leprosos mundate, dæmonia eiſcite: gratis accepistis, gratis date.] Nihil tam decet doctorem, ut humilitas, & diuitiarum cōtemptus. Duo igitur hæc hoc loco docet, Gratis accepistis, dicens: ne superbirent quod talia dona & haberent, & darent. Gratis enim & per gratiam talia accepistis, sed cū humilitate & diuitiarum estote cōtemptores. Gratis enim (inquit) date. Et ut perfectius malorū omniū radix extirpetur.

Non possideatis aurum, neque argentum, neque æs in zonis uestris, neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque uirgam: dignus enim est operarius suo cibo.] Magno studio eos exercet, & propterea omnia ab eis superflua aufert, & curas eis adimit. Nam neque uirgā eos habere sinit, quod exactæ paupertatis est, & dignos fide facit eos, qui paupertatem doceant. Deinde ne dicant, quomodo educabimur? inquit: Dignus est operarius cibo suo, hoc est à discipulis pascemini: debebūt enim hoc uobis, ut operarij. Dixit autem, cibo, non luxu. Neque enim deliciari oportet doctorem.

In quācūq; ciuitatem uel uicū fueritis ingressi, exquirite quis in ea dignus sit: atque illic manete, donec exeatis.] Non ad omnes iussit ire, ne mixti indignis, arguantur. Omnino si ad solos dignos ierint, omnino & pascuntur. Iubet autē manere, & non de domo in domum ire, ne tanquā gulosi male audiant, & uideantur primos qui susceperant iniuria afficere.

Quum autem intrabitis domum, salutate illam: & siquidem fuerit domus digna, ueniat pax uestra super illam: sin minus fuerit digna, pax uestra ad uos reuertatur.] Per salutationem & pacem, benedictionem intellige, quæ apud solos dignos manet. Disce igitur hoc loco, quod nostra maxime opera nos benedicant.

Et quicūq; non exceperit uos, neque audierit sermones uestros, exeuntes ex aedibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum uestrorum. Amē dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorum in die iudicii, quā ciuitati illi.] Excutere uult puluerem: monstrantes quod nihil illinc acceperint, propter duriciam illorum qui persuaderi non potuerunt: uel quod testantur se illorum nomine magnum iter confecisse, nihilque illis profuisse. Tolerabilius igitur erit Sodomis, quā incredulis, eo quod Sodomitæ hic puniti, alibi mitius punientur.

Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum.] Armauerat eos miraculis, debis bonam fiduciam illis fecerat apertis dignorū ianuis. Dicit nūc & grauiā quæ euen-



tura erant, suam præscientiam manifestans. Consolatur autem per hoc quod dicit, ego. Ego (inquit) potens ille, & proinde fidite: inuicti enim eritis. Inlruit autem eos ad passionem. Nam sicut impossibile est, oues in medio luporum nihil pati, ita & uos inter Iudæos. Verum licet patiamini, ne succenseatis. Volo enim uos mansuetos esse sicut oues, & sic magis uincere.

*Prudentia serpentis, & simplicitas columbæ.* Estote igitur prudentes sicut serpentes, & simplices uelut columbæ. Vult discipulos etiam prudentes. Idcirco quum audieris Christianos dici oues, non intelligas quod oporteat eos stupidos esse: nam & prudentes oportet esse, & scire quomodo uersandum sit in medio multorum inimicorum. Sicut enim serpens totum corpus obijcit, ut percutiatur, caput autem seruat: ita & Christianus (inquit) omnia sua det, etiam percussibus, corpus suum: caput autem quod est Christus, & fidem in illum seruet. Et sicut serpens in angustam quandam cauernam circumgyrat se, & transiens pellem ueterem expoliat se: ita & nos per angustam uiam incedamus, ut ueterem exuamus hominem. Veruntamen quia & serpens nociuus est, iubet nos simplices esse, hoc est synceros & absque malitia, nullumque offendentes, sicut columbæ. Illæ enim quum auferuntur eis foras, & persecutionem patiuntur, rursus ad dominos suos reuertuntur. Esto igitur prudens, sicut serpens: ita ut ne deridearis ob uitam ab alijs, sed omnia tua citra labem perficias. Erga alios autem te nocentes, sis uelut columbæ, hoc est neuiquam malignus.

Cauete autem ab hominibus: tradent enim uos in concilia, & in synagogis suis flagellabunt uos: & ad duces & reges ducemini propter me, in testimonium ipsis ac gentibus. Vides hoc esse prudentem, cauere & non dare occasionem uolentibus persequi, sed prudenter agere res nostras. Si pecuniam uoluerit qui persequitur, da: si honorem, permitte, ut ne occasionem habeat: si autem fidem aufert, custodi tuum caput. Non solum autem discipulos missurus erat ad Iudæos, sed etiam ad gentes: idcirco dicit, in testimonium ipsis & gentibus, hoc est in notam & reprehensionem eorum qui non credunt.

At quum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quid aut quomodo loquamini: dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Ne dicant quomodo persuadere poterimus, idiotæ sapientia præditos, iubet bene sperare, & sollicitudinem deponere. Nam quum inter fideles loquendum, dignum est ut præmeditemur, & paratos esse ad defensionem, ut Petrus admonet. Inter turbas autem & reges insaniētes, suum promittit robur, ne timeamus. Nostrum enim est confiteri: sapienter autem respondere, dei. Et ne suspiceris naturalē esse in defendendo idoneitatem, inquit: Non uos loquimini, sed spiritus.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Prædicat eis euentura, ne turbetur quum acciderint. Ostendit autem prædicationis uim, quomodo natura ipsam contemnere faciat. Hic enim Christianismus est: & insaniam illorum interim manifestat, quod nec familiaribus parcunt.

Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Ab omnibus, hoc est à multis. Non enim omnes illos odio prosequabantur: nam nonnulli & fidem acceperant. Qui autem usque in finem perseuerauerit, & non solum inceperit, ille æternæ uitæ particeps erit.

Quum autem uos fuerint persequuti in ciuitate hac, fugite in aliam. Amen dico uobis, non perambulaueritis omnes ciuitates Israël, donec ueniat filius hominis. Quæ supra dicta sunt, terribilia erant, ut quod tradent uos, & eritis odio, & post eius ascensionem futura erant: quod autem nunc, dicitur de his quæ ante crucem. Non enim consummabitis ciuitates Israël in persecutionibus, & statim ueniam ad uos. Iubet enim fugere eum qui persecutionē patitur. Enimvero temere se in periculum iniicere, & auctorem fieri condemnationis, homicidis, & damno esse his quibus per prædicationem prodesse poterant, diabolicum est. Donec ueniat filius hominis, non de secundo aduentu intelligas, sed de conuentu & consolatione ante crucem. Missi enim ad prædicandū, iterum ad eum redierunt, & cum eo conuersati sunt.

Non



Non est discipulus supra præceptorem, neque seruus supra dominum suum: sufficit enim discipulo, ut sit sicut præceptor suus, & ut seruus sit sicut dominus suus. Docet hoc loco ferendas iniurias. Nam si ego præceptor & dominus sustinui, multo magis uos discipuli & serui. Interrogas autem, quomodo dicit, non est discipulus supra præceptorem, quum uideamus multos discipulos præceptoribus antecellere? Intellige igitur, quod donec fuerint discipuli, minores erunt præceptoribus: quod si præstantiores fuerint, non iam erunt discipuli: sic & seruus quandiu est seruus, non erit supra dominum suum.

Si ipsum patrem familias uocauerunt Beelzebul, quanto magis domesticos illius? Ne igitur timeatis eos: nihil enim est tectum, quod non sit retegendum: & nihil occultum, quin futurum ut sciatur. Consolationem accipite à meis. Si enim me principem demoniorum uocauerunt: quid graue, si & uos familiares meos conuictijs taxent? Domesticos uocauit, suam erga illos declarans familiaritatem. Sed confidite, ueritas non occultabitur: sed tempus reuelabit & uestram uirtutem, & conuictiatorum malitiam. Nihil enim est occultum, quod non sciatur. Licet igitur nunc traducant, sed postea uos etiam nos reddent.

Quod dico uobis in tenebris, hoc dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Id quod seorsim dixi uobis, & in uno loco (hoc est enim in aurem & in tenebris) fidenter docete, & magna uoce, ita ut omnes uos audiant. Quia autem dicendi libertatem & pericula sequuntur, subdit:

Et ne timeatis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non poterunt occidere: timete autem magis eum, qui potest & animam & corpus perdere in geenna. Docet & mortem contemnendam. Terribilius enim (inquit) geennæ supplicium est. Qui enim occidunt, solum corpus destruunt, animæ autem fortassis benefaciunt. Deus autem in geennam proiciens, & animam & corpus punit. Geennam autem quum dixit, significat perpetuam poenam. Geenna enim dicitur à semper nascendo.

Nonne duo passeris minuto alle uenēunt? & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri uero etiam pili capitis omnes numerati sunt: ne igitur metuatis, multis passeribus præstatis uos. Ne sicut derelicti turbarentur inquit: Si neque passer ignorante me capitur, quomodo uos quos amo derelinquam? Euidenter autem scientiam & prudētiā indicans, dicit capillos uestros numeratos esse. Ne putes igitur, quod opus sit operāte deo, ut illaqueentur passeris: sed quod neque illorum aucupium à deo ignoretur.

Omnis igitur, qui confitebitur in me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui est in cœlis. Porro quisquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo, qui est in cœlis. Ad martyrium & testificationem adhortatur: non sufficit enim fides in sola anima, sed uult & per os cōfiteri nos deus. Non dixit autem, qui confitebitur me, sed in me, hoc est in mea uirtute. Nam qui confitetur, superna uirtute adiutus confitetur. Postea de negante, non dixit in me, sed me: ostēdens quod non habens supernum auxilium negatur. Omnis enim qui confitetur, quod deus est Christus, inuenit Christum cōfitemtem de se patri, quod fidelis sit seruus. Qui autem negauerint, audient: Nescio uos.

Ne putetis, quod uenerim ut mittam pacem super terram: non ueni ut mitterem pacem, sed gladium. Veni enim, ut diffidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrum suam, & inimici hominis erunt familiares eius. Non ubique bona est concordia, sed bonum quandoque est, & diffidium. Gladius igitur est sermo fidei, qui nos auellit à consuetudine familiarium & cognatorum ad pietatem impediendum. Non enim simpliciter dicit, ut ab his sequestremur & dissideamus: sed dum non conducunt, sed impediunt ad salutem.

Qui amat patrem uel matrem ultra me, non est me dignus: & qui amat filium uel filiam ultra me, non est me dignus. Vides, quod tunc oportet nos odio habere parentes & filios, quando uolunt nos à Christo magis auellere. Et quid dico patrem & matrem & filios: quod maius est, audi.

Qui (inquit) non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus. Quis



Cap. XI. THEOPHYLACTI ARCHIEP. BVLGAR. IN MATTHAEVM

*Crux.* quis (inquit) nō renunciauerit praesenti uitae, & tradiderit se in mortem contemptibilem, (hoc enim prisci crucem uocabant) nō est me dignus. Quoniam multi ut fures & latrones crucifiguntur: apposuit, Et sequitur post me, hoc est iuxta leges meas uiuit.

Qui inuenerit animam suam, perditurus est eam: & qui perdiderit animam suā mea causa, inueniet eam. Inuenire uidetur animam suam, qui uitam quae in carne est custodit: sed perdit eam, quia mittit in aeternum supplicium. Qui autē perdit animam suam & moritur: non ut latro uel seipsum strangulans, sed propter Christum, ille seruat eam.

Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eū qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Excitat nos, ut suscipiamus eos, qui à Christo mittuntur. Nā qui discipulos suscipit, ipsum uenerat, & propter illū etiā patrem. Oportet autem suscipere iustos & prophetas, in nomine iusti & prophetae. hoc est quia iusti sunt & prophetae, non propter praefecturam & subsidium à regibus. Quod si quis forte & prophetae figuram gerat, opere autem non idem praestet, tūc ut prophetam ipsum susceperis, & deus quasi iustum suscepisses tibi retribuet: hoc enim signat, mercedem iusti accipiet. Vel etiam aliter intelligas, quod iustus existimetur etiam ille, qui suscipit, & accipiet mercedem quam iusti capiunt.

Et quicumque potauerit unum ex pusillis istis poculo frigidae aquae, tantum nomine discipuli: Amen dico uobis, nō perditurus est mercedem suam. Ne paupertatē quis praetexat, dicit quod et si poculū aquae frigidae des, eo quod ille meus discipulus sit, & huius accipies mercedem. Poculum autem aquae frigidae dat, & qui docet quempiam flagrantem igne dei, uel concupiscentiarum. Et qui facit eum nominari discipulum Christi, ne hic perdet mercedem.

C A P V T X I.



Est factum est, quum finem fecisset Iesus mandandi duodecim discipulis suis: progressus est illinc, ut doceret & praedicaret ciuitatibus illorum. Missis discipulis ipse cessat facere miracula, & solū docebat in synagogis. Nam si ipse praesens curasset, nulli tunc accessissent discipulos: ut igitur & illi habeant locum sanandi, ipse progressus est.

Ioannes autem, quum audisset in carcere facta Christi, missis duobus discipulis suis, dixit illis: Tu es qui uenturus es, an aliū expectamus? Non interrogat Ioannes quasi ignorans Christum. Nam quo pacto ignoraret? quum testatus sit, Ecce agnus dei. Verum quia discipuli eius inuidebant Christo: ut pluribus argumentis certiores eos redderet: propter hoc mittit eos, ut uel uisis miraculis credant Christum Ioanne maiorem esse, & idcirco fingit se rogare: Tu es qui uenturus es? hoc est qui expectatur in scripturis in carne uenturus. Nonnulli autem dicunt, quod quum dixerit uenturū, interrogauerit de descensu ad inferos, quasi ignoret Ioannes, & dicat: Es tu & ille, qui ad infernum uenturus est, an alium expectamus? Hoc autē friuolum fuerit dicere. Quum enim prophetis alijs excellentior fuerit Ioannes: quomodo crucifixionem Christi, & eius ad inferos descensum ignorasset? praesertim quum Christum agnum nominarit, eo quod pro nobis immolādus erat. Sciebat igitur Ioannes, quod & ad infernū uenturus esset dominus cū anima, ut & illic saluaret, sicut dicit Gregorius Theologus, omnes qui credituri erant, quod pro nobis incarnatus esset. Et nō sicut ignorans rogat, sed sicut uolens copiosis testimonijs discipulos suos docere de Christo ob miraculorum operationem. Vis de enim & Christum quid dicat ad hanc interrogationem.

*Gregorius theologus.*

Respondit autem (inquit) Iesus, & dixit illis: Ite, & renunciate Ioanni ea quae auditis & uidetis. Cæci uident, & claudi ambulant: leprosi mundantur, & surdi audiunt: mortui excitantur, & pauperes Euangelizantur. Et beatus est, quisquis non fuerit offensus per me. Non dixit, annūciate Ioanni, Ego sum, qui uenturus sum: sed ut sciens, quod Ioannes hac de causa discipulos misisset, ut uideant miracula, inquit: Quae uidetis, annūciate Ioanni. Et omnino ille accepta occasione hac, amplius de me uobis testimoniū perhibebit.